DE

CORTICE RADICIS GRANATI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA-GUILELMA,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE V. M. JUNII A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ROBERTUS SIEHR
LITHUANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

C. ZIMMERMANN, MED. ET CHIR. DR.
J. HINZ, S. S. THEOLOG. CAND. ET PAEDAG.
F. HABEDANK, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

Ὁ καιρὸς ὀξὺς, ἡδὲ κρίσις χαλεπή.

Hippocrates.

FRATRIBUS OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

THEODORO

REGI A CONSILIIS IUDICII PROVINCIALIS SUPREMI,
ORDINIS DE CRUCE FERREA EQUITI,

EDUARDO

VERBI DIVINI MINISTRO,

ALBERTO

IN COLLEGIO REGIMINIS SUPREMO ASSESSORI,

GUSTAVO SIEHR

OECONOMO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

L. B. S.

Practica medicinae pars, nisi usu suffulta, incrementa obtinere nequit. Nulla autem artis nostrae disciplina experientiam tanti existimari iubet, quam materia medica, quae vocatur. Ad dirimendam vim medicatam cuiuscunque medicamenti, penes usum et experientiam solum arbitrium est. Quum vero in metienda remedii alicuius dignitate saepe aliae rationes, quam quae usum spectent, iusto pluris pendantur, forsan evenit, ut, remediorum numero quotidie paene aucto, morborum curatio nec facilior, nec celerior, nec iucundior reddatur. Quam plurimum ergo interest, ut medicamentorum vires in organismum aegrotantem etiam atque etiam examinatae, considerentur. Proinde mihi, dissertationis inauguralis argumentum circumspicienti, operae pretium visum est observationes variorum medicorum de cortice radicis granati efficacia in taeniam colligere et comparare,

cuius remedii vim saluberrimam nova experimenta in policlinico universitatis, quod sub auspiciis felicissimis Perill. et Ill. virorum C. W. Hufeland, Osann et Busse hic floret, instituta, extra dubitationem ponunt. Quum ante aliquot annos de hoc argumento, minus amplo, iam dissertatio inauguralis, a Place 1) conscripta, in lucem edita sit, quum praeterea remedii cuiuscunque vis, usus tempestivus et ratio adhibendi aptissima melius perspiciantur, si morbus, in quem agit, ob oculos ponatur, de Helminthiasi in genere, atque de Taenia in specie, quod potui, disserere, nec inane nec sterile opus esse putavi. Quamobrem excusetis velim, L. B., si angusta huius libelli frons minus, quam pertractabitur indicat, nec ideo scriptori me aequiparetis, cuius in secundo vel tertio operis volumine persona heroica in lucem prodit. Superest, ut Ill. Osann ob insignem humanitatem, qua in conscribendo hoc libello suppetias mihi tulit, gratias, quantas concipere possit animus, sincerrime agam. —

---

1) Franciscus Place de usu corticis radicis granati Dissert. inaugur. Berolini 1825.

De Helminthiasi.

Cap. I.

Exordium.

Meditantem, quot nova variis disciplinis nostro seculo addita sint, eximia Helminthologiae incrementa mirari oportet; vix enim alia scientia tam brevi tempore adeo exculta et amplificata est. Ingenio autem et studio duorum praecipue virorum Ill. C. A. Rudolphi 2), nec non Ill. Bremser 3), Helminthologorum facile principibus, haec historiae naturalis pars plurimnm lucis debet, siquidem inter aliquot decennia plus observatum et investigatum est, quam antea multis seculis. Nec modo in eos, qui historiam naturalem profitentur, sed etiam in medicos practicos multa commoda ex illis disquisitionibus redundaverint, necesse est, quum non solum novae Entozoorum species detectae, earumque habitus externus et fabrica accuratissime descripta,

2) C. A. Rudolphi Entozoorum s. vermium intestinal. historia natural. Vol. III. c. tabul. aën. Amstelaedami 1808–10. 8.

3) Dr. Bremser Ueber lebende Würmer im lebend. Mensch. Wien 1819. 4.

verum etiam pathologiae et therapiae ratio quam maxima habita sit. Tenebras, quibus Entozoorum origo per secula premebatur, iam ita videmus illustratas, ut nullus dubio locus supersit. Verbis inclyti Harvey „omne vivum ex ovo" nostris temporibus merito dignitas detrectata est. Imo Linné, sagacissimus naturae scrutator, vermes in animalibus inventos, ab iis, qui in aqua aut in terra vitam degent, non differre, sed foris per cibos et potus in corpus vivum pervenire adhuc putavit, quam opinionem argumentis firmissimis refutatam esse scimus. Quis porro est, qui putet, Entozoorum ovula a parentibus cum liberis communicari? Haud secus unusquisque, Bremseri argumentis pensitatis, hypothesin a Brera recentiori aevo defensam, Entozoa nempe extra corpus humanum oriri et domicilio mutato habitum et structuram mutare, repudiandam censebit. Omnium harum opinionum perversitas, rationibus consideratis, quas temporis spatiique angustiae omitti iubent, facile intelligitur. Quamobrem una tantum restat sententia, quae Entozoa productum corporis animalis sistere perhibet, et quae prima in corpore aliquo existant, spontanea generatione materiae vivae et organicae formari, vel, ut termino technico utar, generatione aequivoca, s. originaria, s. primitiva oriri. Quod quo modo fiat, haud magis dilucidatum est et dilucidabitur, quam generatio ex parentibus.

Nec solum Entozoa hanc originem ducere videntur, sed nonnulla quoque vegetabilia, ut illa

Pristleyi materies multifariam pertractata, Byssi, Lichenes, Fungi, atque animalcula Infusoria, forsan Pediculi quoque et Acari exulcerantes Linné. Qui de hac novissimorum origine dubitent non desunt, sed duo Phthiriasis exempla ab Ill. Rust observata, quorum Bremser 4) mentionem fecit, pediculorum generationem aequivocam argumentari videntur. Ast ne longius aberrem, ad causas vermium, in corpore quodam animali procreatorum, gradum faciam. Haec haud dubie plurimum faciunt ad therapiam, quum, causis Helminthiasis neglectis, curatio rationalis, seu radicalis institui nequeat. Proinde primum de Entozois pathologica et physiologica proponenda censeo, quippe quibus therapia et singulorum remediorum usus, tempus et ratio adhibendi optima, quod equidem iudico, melius superstrui possint.

Cap. II.

A e t i o l o g i a.

Si persuasum habemus Entozoa nec foris in corpus vivum deferri, nec congenita esse, sed generatione aequivoca nasci, causa creationis proxima, non alia in re, nisi vel in materiei organicae qualitate s. mixtione mutata, alienata, quam vocant,

---

4) Bremser l. c. p. 54.

aut in maiori eiusdem copia et accumulatione est ponenda. Haec mixtio aliena deducenda est ex debilitate nutritii systematis relativa, nec non ex disproportione s. dissensione variarum processus vitalis actionum, quarum a conspiratione status normalis et bona valetudo pendet. Quodsi enim in canali cibario ex haustis nutrimentis nec uberior nec alia materia praeparatur, quam quae ad excreta sarcienda sufficiat et a vasis resorbentibus provehatur, si porro non plus secernitur, quam ad concoctionem ad chymum et chylum praeparandum requiratur, vermes oriri nequeunt. Si vero in tubo alimentario maior materiae organicae moles conficitur, quam resorbetur, ergo dissensio formationem inter et resorbtionem viget, facillime Entozoa emergunt. Hinc non raro accidit, ut homines, qui bona valetudine et firma corporis constitutione gaudent, vermibus intestinalibus hospitium praebeant, quod alio modo explicatu difficillimum est. Accumulationem illam materiae organicae in intestinis magna muci moles, cui vermes, velut nidulo, insident et quae paene semper cum iis alvo excernitur, argumentatur. Quae accumulatio autem, tam resorbtione impedita, ergo vasorum vitio, quam secretione intestinorum nimis copiosa, forsan qualitativa secreti alienatione, ergo vasorum secernentium et intestinorum ipsorum malo effici potest. Itaque Helminthiasis nonnunquam hereditaria est, quum proles opportunitatem ad hanc processus vitalis in systemate vegetativo abnormi-

tatem, non secus ac dispositionem arthriticam, scrofulosam, nervosam, phthisicam etc. a parentibus obtineat. Nec minus autem haec opportunitas adventitia cernitur, inprimis vitae genere inducta.

Ex his quoque apparere videtur, cur aetas infantilis et puerilis et sexus sequior crebrius aetate virili sexuque potiori hoc morbo corripiantur; quod illis debilitas quaedam systematis vasorum resorbentium et processus vitalis in universum, secundum Bremseri sententiam denegari nequit; est quoque, uti mihi videtur, systema vegetativum s. reproductivum mulieribus et pueris, maribus autem irritabile et sensibile praevalere.

Quem porro fugit, infantes primis vitae annis nonnunquam ciborum magna mole quotidie hausta minime crescere aut valere, sed potius macrescere et infringi? Quod non per inopiam materiarum nutrientium, sed per nutritionem cibo immodico impeditam evenit. Hisce infantibus scrofulosis et atrophicis, quibus libera vasorum resorbentium permeatio aut plane suspensa aut impedita est, materia animalisata s. organica, in intestinis accumulata, opportunitatem Entozoa creandi suppeditat. Quamobrem isti infantes semper fere vermibus intestinalibus obsidentur.

Nihilosecius hisce conditionibus, dispositione nimirum aut hereditaria aut adventitia, praesentibus, symptomatibusque vermium ipsis, uti videtur, urgentibus, nonnunquam desiderantur vermes. Nonne

hoc, quod auctores experientiam secuti contendunt, theoriam modo propositam evertat? Minime, nam exceptiones ubique sunt statuendae, de nostra autem re fortasse eapropter ambigitur, quod unum tantum vitae interpretem, materialem videlicet, i. e. materiam organicam novimus, alterum autem dynamicum, cuius connubio cum illa vita organica effici videtur, ignoramus, semperque ignorabimus. Hisce paucis comprehenditur Bremseri sententia de Entozoorum generatione.

Jure meritoque veterum opinio, e. g. Aetii 5) Pauli Aeginetae, 6) aliorumque abrogata est, qui ex membrana intestinorum interna, a reliquis soluta et organisata, taeniam formari proposuere.

Egregie Hartmann, 7) de Entozoorum origine exponit: processu, inquit, vitali debilitato, materia organica minus exculta, superiorum animalium dignitatem non assequitur. Quod malum pro vario gradu et genere forma diversa se manifestat. Interdum metamorphosis progressiva (Hartmann processum vitalem duas in metamorphoses distinguit, alteram progressivam, cultoriam nominat, quod idem significare vult quam nutritio et reproductio, alteram regressivam, i. e. resorbtio et excretio) sit

---

5) Aetii Tetrabibl. quart. Sermo II. cap. 85. p. 904.

6) Pauli Aeginetae Lib. VII. Basil. 1538. 4. cap. 59. pag. 321.

7) Ph. C. Hartmann Theorie d. Kranhh. Wien 1823. S. 109.

venia verbo, in tantillo evolutionis gradu subsistit, ut producta plantarum natürae haud praestent. Hinc in organismo animali materiae vegetabiles formantur, ut saccharum in Diabete mellito, nimia olei pinguis copia in Adiposi. Aliis in casibus metamorphosis progressiva facultatem humores serosos formandi vix excedit, ut in quibusdam Hydropis speciebus. Non raro materia plastica quidem propagatur, sed quoad indolem animalem tam imperfecte excolitur, ut ad animalium inferiorum genera propius accedat. E tali substantia organica facile Infuoria et Entozoa nascuntur. Debilitas vitalis, s. asthenia systematis vegetativi Hartmanno, et quidquid hanc procreat, causis Helminthiasis accensendum est. Huc pertinent: vita deses et omnis exercitii expers, domicilium humidum, cibi, ex quibus tenax et mucosus, vel uberior chylus paratur, praesertim cibi pingues, farinosi et lactei. Vita deses causam alteram sistere videtur, quod Entozoa saepius in sexu sequiori quam potiori inveniantur. Porro Entozoorum generatio a causis endemicis et epidemicis pendere potest, quod quidem videmus in comitatu Tyrolensi, in Helvetiae et Bataviae regionibus. Plerumque, aut semper potius epidemica Entozoa nascuntur, ubi constitutio endemica stationaria verminosa adest. Piscium abusum multum ad Entozoa procreanda conferre, quam causam multi Bataviae propriam dicunt, eo refutari videtur, quod in Helvetia non minus frequens invenitur Helminthiasis. Quantum victus

communis in hac re valeat, duo exempla a Reinlein observata, 8) testantur. In universum autem diaeta ad vitae rationem conformanda est; iidem enim cibi, e. g. bulbi solani tuberosi, fructus viciae fabae et sativae, panis immodicus etc. quibus commesis oppidani, vitam desidem agentes, digestionis difficultatibus, vermibus et aliis morbis infestantur, a ruricolis durioribus optime sustinentur.

Hisce causis omnes Entozoorum species nasci, facillime elucet, ergo Cestoidea quoque, de quibus, quum hominibus periculosissima sanatuque difficillima sint, et quum contra haec potissimum cortex radicis granati prosperrimo cum successu in usum vocetur, aliquanto latius in capite sequenti agere liceat.

Cap. III.

De Taenia.

Duo Cestoideorum genera in hominibus sunt inventa, Taenia solium in plerisque Europae regionibus, Helvetia et Russia exceptis, ubi semper Bothriocephalus latus Bremseri, s. Taenia lata observabatur. Semel tantum ab Ill. Rudolphi, 9)

8) Bremser l. c. p. 113.

9) C. A. Rudolphi, Physiologie. Bd. 2. Abtheil. 2. S. 239. Anm. 2.

utraque species in eodem homine reperiebatur, quarum discrimina et descriptionem anatomicam, ne longius ab argumento aberrem, praetermittam. Antiquissimis iam medicis hic vermis notus erat, sed de eius natura, structura, propagatione et singularum partium reproductione, fabulosa et fictitia ad nostra usque tempora ferebantur; at quanquam multa adhuc obscura restant, tamen de nonnullis clarior lux nobis affulsit. Taeniae in intestinis latentis partes variae longitudinis interdum a reliquo corpore avulsae, cum excretis alvinis in lucem eduntur, quos vermes proprios esse, antiquiores perperam crediderunt, et vermes cucurbitinos dixerunt. Porro unam tantum taeniam, nunquam plures in eodem homine habitare exisitmarunt, saepe autem plures inesse observationibus est confirmatum. Exempla quae de Haen, 10)et Bremser observavere argumento sunt, quorum in altero intra aliquot dies duodeviginti taeniae partes, fine filiformi praeditae, per anum secesserunt. Bremser autem in eodem homine saepissime duas vel tres, in canibus septuaginta ad octoginta pluries se invenisse refert. De taeniae natura et fabrica prae aliis hae viguerunt opiniones. Linnè taeniam capite carere putabat, Blumenbach omne quodque taeniae membrum animal proprium sistere quae sugendo inter se cohaereant; attamen hanc opinionem postea deseruit.

---

10) De Haen ratio medendi Vol. XII. p. 218.

Sunt etiam qui putant, ut Carlisle e membro quolibet vermem integrum formari posse. Omnia haec refutantur Bremseri disquisitionibus, quippe-qui in intestinis Pelecani Carbonis multas taenias exiles, tenerae aetatis, linearum duarum triumve longitudinem aequantes, parte posteriori obrotundas, ergo integras invenit, quarum caput ostiis quatuor et corona hamata praeditum facile distingui potuit. Haec certo argumentantur taeniam integram procreari et ut omnequodque animal sensim sensimque perfectam magnitudinem et evolutionem obtinere, minime autem ex membro singulari formari. Deinde multi putabant membra taeniae revulsa et alvo excreta regenerari sive quod idem est, taeniam nisi occidatur in infinitum crescere et vivere. Haec partium reproductio, multifariam et mirifice pertractata, omne caret probabilitate, nec unquam evidenter observata est. Fingamus autem hanc veram esse rei rationem, aut a parte anteriori s. capite, aut media, aut posteriori s. cauda incrementum fiat necesse est.

Ex capite nova membra subnasci nequeunt, quum in taeniis tenerae aetatis collum haud exiguum observetur, quod deinde in membra singula solvendo paulatim secedit. Hoc autem perinde ac regeneratio e media corporis parte nunquam est observatum, quod certe foret, quum talis evolutio gradatim tantum succedere, nec unquam repente contingere possit. Regenerationem e cauda Andry extra dubitationem hoc experimento poni putabat.

Taeniam ex ano hominis magna parte prominentem acu perforavit, et filo parti alicui immisso, ibique relicto, partem sub filo positam avulsit. Taeniam deinde ad intestina reversam, interposito mense, adhibito anthelmintico quodam, integram, capite praeditam expulit, partemque, quae infra filamentum fuit, multo longiorem quam antea invenit. At hoc experimentum uti Rudolphi 11) et Bremser 12) iudicant, nihil probat, quum taeniae vulneris dolore contractae longitudinem certo metiri non licuerit. Eadem, ut mihi videtur, de Brerae opinione dicenda sunt, qui tot partes reproduci asserit quot perditae sint, ita ut vermis semper eandem longitudinem teneat. His praemissis et reputatis taeniam in aliquo homine primam aut generatione aequivoca, aut progeniem priorum ex ovo, omnino autem integram nasci, nec tanta reproductionis vi a natura instructam esse persuasum habeo. Paulatim crescere taeniam ex eo patet, quod membra singularia magis magisque inter se distingui possunt et primum quidem posteriora. Membris certam ad magnitudinem usque provectis et excultis, ovisque, quae continent, maturatis, a trunco sciunguntur. Quod evenire potest ubi membra prope caput inter se nondum distinguuntur et collum longum adhuc formant. Evolutione autem procc-

---

11) Rudolphi Entozoorum etc. etc. historia. Vol. I. pag. 337. seqq.

12) Bremser l. c. pag. 105.

dente hae quoque partes a ceteris divelluntur, donec caput ipsum partium illarum viam sequatur et per anum exponeretur. Quid temporis ad hunc processum requiratur, seu ut rectius dicam, quantum vitae spatium natura taeniis dederit, quis est qui certo sciat? Sed dubitandum est num decennio aut pluribus annis opus sit, ut nonnulli, repetita partium taeniae excretione seducti, statuerunt. Suspicari potius licet, intra hoc tempus taenias novas aut ex ovis, quae in intestinis remanserunt, aut praedispositione verminosa perdurante, generatione aequivoca oriri. Quod autem taeniae caput inter partes alvo exoneratas non inveniatur, minime concludi potest, ex capite vermem integrum creari, imo, ne in intestinis quidem hoc residere; saepissime enim vermis inter excretionem discinditur, pluribus quidem in casibus prope caput, ergo quo propius a capite, eo difficilius hoc invenitur in faecibus. Omnino autem faecibus perscrutandis maxima opera impendatur necesse est, si quis caput oculis inermibus distinguere et cognoscere velit. Bremser inter plura, ait, centena hominum, quos taenia liberaverit, haud unum unquam taeniae caput vidisse, nihilosecius de centeins nonaginta novem ab hoc malo incolumes evasisse; se ipsum autem, dum faeces aqua leniter alluerit, caput saepissime deprehendisse. Ergo nec caput in intestinis residuum valde timendum, nec aegrotis fides habenda est, qui paput non depulsum esse affirmant. Nam licet exempla exstent in Museo anatomico vindobo-

nensi, quibus caput post mortem annos multos intestinorum tunicae internae ita inhaesit, ut disiungi nequiret; quid refert? Haereat in aeternum dummodo anthelmintico adhibito interficiatur et ovulis cum muco egestis dispositio verminosa tollatur.

Tempus et rationem, quibus taeniae partes a trunco secedunt nonnulli Helminthologi a vermis evolutionis certo stadio pendere merito censent, quod Bremser ingeniosissimis observationibus non probabile tantum, sed evidens fere reddidit. In Bothriocephalo lato describendo, de quo Helvetium quendam modo liberaverat, et cuius effigiem tabula aenea secunda exhibet, haec proponit: 13) in latere membra impellucida, turbida, punctis nonnullis opacis obsita cerni possunt. Forsan ovula nondum fecundata. Inferne membra fecundata apparent, quae fig. 7. a. talia exhibet. Magis inferne interdum inter membra modo descripta, parva luteola tubercula in quibusdam membris inveniuntur. Tuberculo quodam acu incisiva patefacto, ovula, (v. fig. 7. c.) multa maiora reddita, propullutant. Ubi haec ovula fecunda iacent, vermis denuo attenuatur, partes membrorum laterales corrugantur, nec in iis illa puncta s. granula alba apparent. Non omnia membra fecundari videntur, nam in hac taeniae parte, (fig. 7. b.) tredecim membris insigni, tubercula duo ovulis adhuc repleta adsunt. Tertium tuberculum dimidio tenus

---

13) Bremser l. c. pag. 96.

ovulis vacuefactum videtur. Membrum ipsum fecundatum, attenuatum, corrugatum, tabescit, et si eo usque processit, ut partus edatur, plane emoritur. Ita locum perforatum, (fig. 7. c.) notare puto, ubi membra rupta ovula iam deiecerint; fuscum colorum induunt valdeque probabile est, paucis diebus post vermem fissuras acturum partemque duorum pedum longitudine alvo esse secessuram. Si vera haec sunt, quod haud dubito, haec membrorum segregatio, antea inexplicabilis, explicata est a Bremsero; nec haec creandi ratio mirifica videri potest, quum in regno organico similia inveniamus. Generationem summum processum organicum esse, nemo erit qui inficietur, quum partim non prius contingat, quam absoluta genitoris evolutione, partim facultate generandi amissa, totius organismi vires vitales sensim sensimque hebescant. Ita Entoorum organismus usque ad novam creationem excolitur, generatione ex membris certis peracta, emoritur. Quidquid vivit et viget in rerum natura propagatione administrata serius ocius obit, ocius, ut videtur, quo inferiorem organismus, serius, quo sublimiorem dignitatem tenet.

Cap. IV.

D i a g n o s i s.

Signa, quae vermes hominum intestinis inesse testantur haec sunt: facies mutata, plerumque pal-

lida et subflava, interdum color admodum variabilis, nunc enim facies rubet, nunc pallet. Oculi languent, pupilla dilatata. Palpebrae inferiores annulo coeruleo notantur. Nares saepe intumescunt, et pruritu perpetuo infestantur. Dolores capitis et susurrus aurium interdum urgent. Lingua muco obducta. Multum salivae confluit in os. Anima foetet, praesertim ventriculo jeiuno. Appetitus ciborum nunc fere nullus, nunc immodicus. Vomiturítiones et vomitus ipse, plerumque materiarum fluidarum, aquosarum. Colicae affectiones praesertim in regione umbilicali. Excrementa mucosa, striis sanguineis tincta. Urina turbida et lacti diluto similis. Venter tumidus et durus, macie corporis reliqui coniunctus. Socordia, fastidium et plerumque animi tristitia et morositas.

Haec sunt signa vermibus intestinalibus communia, nunc quae taeniae tantum conveniant, referenda sunt. Suctio infesta et motus undosus in ventre, ictus fugaces in regione epigastrica. Interdum sensatio frigoris, rotationis et oneris in loco circumscripto, praesertim si taeniae globi adinstar glomerantur. Venter saepe et celeriter intumescit. Color faciei semper lividus; appetitus ciborum aut nullus aut perquam adauctus cum corporis macilentia. Repentina animi deliquia, tremor universus, vertigines, titubatio pedum, vomitus, et spasmi epilepsiae similes.

Multa praeterea symptomata ab auctoribus enumerantur, at inconstantia sunt. Imo inter-

dum taenia absque corporis et valetudinis damno longum per tempus in intestinis commorari potest. Signum pathognomonicum unice paene certum praebent taeniae partes alvo exoneratae.

Cap. V.

Prognosis.

Helminthiasis, quum per se nunquam sit lethalis, haud infaustam offert praedictionem; attamen de eius gravitate medici valde dissensere. Imo vero non defuere qui contenderent, Helmenthiasin morbis non esse accensendam, quum saepissime organismo sano longum per tempus vermes intestinales immorentur, nullisque medicamentis adhibitis dispareant; alii, mirum dictu, Helminthiasin pro morbo salutari habuere, siquidem vermes motum peristalticum tubi alimentarii adaugeant, pulmonumque et reliquorum viscerum evolutionem aetate infantili adiuvent, ut Abildgaard 14) et Gautieri. Goeze 15) etiam, qui omne animal homini inservire putavit, vermes homini saluberrimos censet, propterea quod substantiae intestinis infensae ab iis consumantur. Istae opiniones autem recentiorum temporum ob-

---

14) P. C. Abildgaard Allge. Betrachtungen über Eingeweidewürmer, aus dem Dänischen. Coppenhagen 1773. 8. S. 24.

15) Goeze Versuch einer Naturgeschichte der Eingeweidewürmer. Leipzig. 1787. 4

servationibus ita refutatae sunt, ut plura de iis disserere supervacaneum videatur. Helminthiasin morbis adnumerandam esse, nostris temporibus nemo medicorum ignorat, quum vermes, ut supra (Cap. II.) diximus, statu morboso intestinorum et nutritionis proferantur, quum in sanis hominibus non inveniantur, quum denique varios et atrocissimos morbos excitare possint. Vermes nonnunquam perperam pro causa morborum, imo mortis habitos esse, exemplis elucet, quorum Bremser 16) mentionem fecit. Eodem autem loco Bremser observationes virorum, fide dignissimorum, allegat, quibus vertiginem, amaurosin, anorexiam, colicam, vomitum, cephalaeam, paralysin extremitatum inferiorum, spasmos et convulsiones, choream St. Viti, epilepsiam cet. remediis anthelminticis adhibitis, quibus vermes expellerentur, sanata esse, confirmatur. Quid mirum? Nullum corporis organon, et fabrica et functione, cum reliquis partibus tantum alit commercium, quam tractus intestinalis, quam ob rem functione eius ita alienata, ut vermes procreentur, morbos diversissimos et perniciosissimos inde originem ducere posse, vix quisquam dubitabit. Opinio nonnullorum, praesertim veteriorum, vermes intestinorum parietes perforare, mortemque inferre, a multis in dubium vocatur, ut Wich-

---

16) Bremser l. c. pap. 122.

17) Wichmann Ideen zur Diagnostik. Hannover. Bd. 3. S. 85.

manno 17), qui lumbricos effractores fabulis pathologicis adnumerat, seque in intestinis hominum, summa senectute mortuorum, foramina rotunda invenisse dicit, quanquam durante vita et post mortem ne vestigium quidem vermis cuiusque apparuerit; Ill. Rudolphi disquisitionibus luculentissime commonstravit, talem perforationem effici a vermibus non posse, quum organis ad hanc operationem necessariis omnino careant. Wedekind 18) contendit, herniarum incarcerationes vermibus saepe excitari, quod Bremser 19) argumentis validissimis refutat.

Denique prognosis pro variis vermium intestinalium speciebus discrepat, quum Ascaris vermicularis et Trichocephalus dispar facilius, Ascaris lumbricoides difficilius, Taenia difficillime remediis cedant, et quum eadem forsan ratio sit molestiarum, quae diversis vermibus organismo inferuntur.

Cap. VI.

T h e r a p i a.

Indicatio causalis exigit, ut, vermibus alvo expulsis, causae verminationis submoveantur, ne renascantur. Huic scopo primum respondent re-

---

18) Richters chirurg. Bibliothek, Bd. 8, S. 79.
19) Bremser l. c. S. 139 — 142.

media anthelmintica, quae dicuntur, i. e. vermibus veneni adinstar inimica, eosque occidentia, nec non plerumque purgantia, deinde roborantia. Hoc modo curatio radicalis perficitur. Interdum indicationi symptomaticae satisfaciendum et curatio palliativa instituenda est, si nempe affectiones morbosae, Helminthiasi excitatae repente incursant aegrotumque gravius infestant, uti tormina, colicae atroces, convulsiones, retentiones vel alvi vel urinae pertinaces etc. Istae quidem molestiae saepissime excitantur, si vermes agitari incipiunt, vehementius moventur, praesertim si sursum reptant et partes sensiliores petunt ut ventriculum. Hi affectus quam promtissime mitigandi sunt, quum vermes expellere nimis diuturnum foret. Aegroto nutrimenta, vermibus placentia dentur, quorum optimum est lac, vel per os, vel per anum adhibitum. Non minus in usum vocentur lactia artificialia, s. emulsiones, olea pinguia, ut oleum amygdalarum dulcium, olivarum, ricini, cum his antispasmodica, opium, hyoscyamus, asa foetida, infusum chamomillarum, valerianae etc. Balnea calida et inunctiones abdominis ex oleo caieput ab Ill. Rudolphi, vel ex petroleo et allio sativo a Rosenstein laudantur. Vermibus in ventriculum pervectis, pilulae ex glacie paratae, suadente Loeffler 20), aqua frigida et spiritus quidam imperetnr. Ubi huiusmodi symptomata non urgent, sed vermium prae-

20) Hufelands Journal, Juli 1810, S. 110.

sentia signis supra memoratis evincitur curatio radicalis instituenda est. Ad quam perficiendam primum opus est ut vermes expellantur, deinde remediis idoneis, quae vires vitales tubi alimentarii vasorum resorbentium, eorumque organorum, quae nutritionis munere funguntur, adaugent, secretiones corrigant et restringant, eorum regeneratio impediatur. Remediorum anthelminticorum, quae vocant, legio exstat; causa forsan in eo est, quod medici medicamentum quodlibet, quo adhibito vermes secesserunt, ceu anthelminticum optimum, specificum, palam in lucem famampue evulgare studebant, non considerantes, vermes forsan sine illo medicamento fuisse discessuros, conditionibus nimirum, quibus procreabantur et sustentabantur, sublatis. Non raro enim evenit, ut vitae genere cibisque vulgaribus mutatis, aetate procedente, morbis intervenientibus vermes domicilium relinquant, nec totam per vitam regenerentur.

Si certo constat diagnosis, cuius, ut supra (Cap. IV.) retulimus unicum paene signum evidens vermes alvo excreti suppeditant, in remediis anthelminticis adhibendis id cavendum est, ne primo successu minus laeto a cura deterreamur, sed ut repetitis vicibus remedia eadem imperemus, nam vermes saepe muco intestinali ita involuti sunt, ut remedia eos assequi nequeant; quamobrem diaeta tenuis, uno vel pluribus ante curationem diebus, eaque durante adhibita, remediorum efficaciam non parum adaugebit. Potissimum hoc de taeniae

cura valet, ad quam perficiendam anthelmintica validissima eligenda sunt. Porro aptissimum mihi videtur, symptomatibus non urgentibus, curam non prius auspicari, quam nonnullae taeniarum partes sint excretae, quum hoc ut (Cap. III.) diximus inter vermis evolutionem fieri soleat, tum autem suspicari liceat, taeniam sensiliorem esse et facilius medicaminibus ipsi inimicis cessuram.

Remediorum, quae ad vermes debellandos medici in usum vocantur, si agendi rationem spectes, usitatissima haec sunt:

1. remedia quae mechanice in vermes agunt.

Limatura stanni 21), stizolobium, vulgo dolichos pruriens, carbo lignorum pulveratus, daucus carota.

2. remedia specifica sic dicta, quae dynamice vermibus obnituntur.

Aqua frigida 22), radix valerianae minoris, allium cepa et sativum, semen cynae s. santonici, flores tanaceti vulgaris, helminthochortos, chenopodium anthelminticum 23),

---

21) Bloch, Abhandlung über die Erzeugung der Eingeweidewürmer. Berlin 1782, S. 56.

22) Pallas neue medicinische Beiträge I, S. 57.

23) Brera medicin. prakt. Vorlesungen über die vornehmsten Eingeweidewürmer des menschl. Körpers und der sogen. Wurmkrankheit, mit Kupfern, aus d. Italiänischen v. Weber, Leipzig 1803, 4, S. 93 u. 97.

radix spigeliae anthelmiae et sp. marilandicae, cortex geoffraeae surinamensis, semen sabadillae, putamina nucum iuglandis imaturarum 24), ab Hippocrate et Dioscoride iam laudata, asa foetida 25), camphora auctoribus Baldinger, Le Clerc, Vogel, Wedel, Brera 26), radix polypodii filicis maris Linné, Galeno 27) et Plinio 28) iam probata, petroleum, a Rosenstein et Wedel contra taeniam laudatum, oleum terebinthinae, medicis anglicis commendatum, oleum caieput suadente Ill. Rudolphi, oleum animale Dippelii, oleum foetidum anthelminticum Chaberti, ex parte una olei cornu cervi foetidi et tribus olei terebinthinae destillationis ope paratum, mercurius vivus 29), gummi guttae duce Werlhoffio, sal mirabile Glauberi auctore Weigel 30), terra ponderosa salita suadente Perillust.

---

24) Rosen v. Rosenstein, Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten, Goettingen 1798, 8. S. 536.

25) Mellin Prakt. Materia med. 4te Auflage. Frankfurth a. M. 1787. 8. S. 90.

26) Brera l. c. S. 99.

27) Galenus de simplici medicamentorum facultate. Lib. VIII. pag. 512.

28) Plinii historia naturalis. Lib. XXXVII. Parisiis 1723. fol. lib. XXVII. cap. IX. pag. 430.

29) Baglivius l. c. pag. 59.

30) Hufelands Journal. Bd. I. S. 439.

Hufeland 31), oleum ricini 32) oleum filicis 33), cortex radicis granati, de quo infra latius disseram. Omnia anthelmintica regni vegetabilis collecta inveniuntur a C. A. Willmann, Commentatio de anthelminticis regni vegetabil. 4 maj, Goettingae 1826.

3. purgantia, vermes specificorum medicaminum ope necatos, nisi simul alvus laxetur, vel eorum ovula et mucum semper fere uberius accumulatum, purgantibus eliminari oportet, quem in finem maxime laudantur: sal mirabile Glauberi, tartarus vitriolatus, aquae soteriae et salinae et alcalinae, tartarus emeticus, mercurius dulcis, olea pinguia, oleum ricini, radix rhei, folia sennae, radix jalappae, aloë, gratiola, helleborus, gummi guttae, scamonium et alia drastica.

Contra taeniam, quum plurima supra memoratorum anthelminticorum exoptato effectu saepe destituantur, diversae curandi methodi variis a medicis commendatae sunt, quas recensere tempus, spatium et indoles harum pagellarum vetant. Ac-

---

31) Hufeland Vollst. Darstellung der medicin. Kräfte und des Gebrauchs der salzsauren Schwererde. Berlin 1794. 8. p. 89.

32) Odier sur l'usages etc. Roux Journal. tom 49. p. 333. et 450.

33) Peschier Nouv. Biblioth. medic. Septbr. 1825. pag. 151. seu Archiv. für medicinische Erfahrung von Horn. Septbr. 1826. pag. 350.

curatissime eos Bremser in libro egregio, saepiusque citato (pag. 172 seqq.) exposuit.

Non possum autem, quin experimenti mentionem faciam, circa remedia nonnulla instituti, ad eorum vim contra taeniam explorandam. Taenias nempe hominibus expulsas, easque vivas Redi, Baglivius, Andry, Le Clerc, Torti, Arnemann 34), et alii, vi et contactui medicamentorum submisere, indeque eorum efficaciam aestimavere. Ex his apparuit, frigus, spiritum vini et olea foetida taeniis quam maxime inimica esse, quum his immersae celerrime et tutissime morirentur. Bremser quidem hoc experimentum non certum ratiocinium admittere monet, quum taeniae aëri submissae, et medicamentis, quibus expellebantur, debilitatae, statum morbosum quodammodo subierint, sed etiamsi haec vera sint, attamem apta haec via mihi videtur, ut exploretur, quod medicamen minus, quod plus taeniarum vitae infestum et lethiferum sit; nam ex eo, quod, ut Arnemann observavit, taeniae oleo ricini immersae per horas viginti quatuor vitam retinebant, recte concludi potest, oleum ricini non anthelminticum esse, quum remediis supradictis intra aliquot horae minuta taeniae perimantur. His remediis taeniae efficacissimis secundum experimenta, quae Breton 35), et Go-

---

34) Arnemann de oleis unguinosis Goettingae 1785. 4. sect. IV. seu Bremser l. c. pag. 145.

35) Hufelands Journal. Bd. 54. St. I. S. 92.

mez 36) instituere, cortex radicis granati adnumerandus est, quippecuius decocto taeniae perfusae statim vehementer incurventnr, valdeque perturbatae intra horae minuta quinque pereant.

De Cortice Radicis Granati.

Cap. I.

Descriptio plantae.

Plantae, praeter radicis corticem (cort. rad. granati), pomorum putamina (cort granati s. malicorium), flores (flores balaustiorum), et semina (sem. granati) officinis largienti, competit nomen botanicum —

Punica Granatum Linnè

et locus in systemate sexuali Linnaei

Icosandria Monogynia

atque in naturali L.Jussiaei 37), inter genera familiam constituentia, cui nomen

Myrti, alias Myrtineae

(Class. XIV. Plant. dicotyl. polypetal. Stam. perigyn. Ordo VII.)

36) Magazin der ausländischen Literatur der gesammt. Heilkunde v. Gerson und Iulius. Bd. 6. S. 427.

37) Ant. Laur. de Jussieu genera plantarum secundum ordines natural. disposita. Parisiis 1789.

Punicae Linnè diagnosis generica haecce

Calix turbinatus, coriaceus, persistens, quinquefidus.

Corolla quinquepetala, petalis rugosis.

Stamina numerosa, medio calici inserta.

Stylus in basi incrassatus, stygmate simplici.

Pomum inferum, sphaericum, coriaceum, limbo calicino coronatum, novemloculare, loculis quinque superioribus et quatuor inferioribus, septo transverso ab invicem distinctis, pulposis, polyspermis.

Punicae Granati diagnosis cernitur in his:

Folia sunt opposita, brevipetiolata, elliptica, integra, flores in ramis spinosis, terminales, subsessiles, solitarii.

Icon. (Blackwell t. 27, Schkhur t. 1316, Plenk t. 376, Duessel. Off. Pflanz. t. 1, fig. 9.)

Patria India orientalis (ubi vocatur Arar vel Dadima) et terrae circum mare mediterraneum. Tempore bellorum punicorum (a quibus forsan nomen gentile Punica) a Ramonis ad Italiam translata est, inde ad Europam meridionalem universam abiit. Frigus autem non sustinet, quamobrem media in Gallia sub dio non provenit. Ibi fruticem mutilum exhibet, cuius fructus nunquam maturescunt, et in Galliae Provincia (Provence) pyri mali magnitudinem assequitur et quotannis pomis maturis exornatur.

Radix lignosa, perpendicularis, fibrillata.

Caulis arborescens, pedes quindecim ad viginti altus, spinis et ramis exaridis, abortivisve armatus.

Folia opposita, brevipetiolata, elliptica, lanceolata, integra, nitentia, glabra.

Flores ad ramorum apices, solitarii, subsessiles, pulchrepunicei, inodori.

Calix monophyllus, nudus, coloratus, infundibiliformis, coriaceus, crassus, supra fructum inferum, cui concretus est, ampliatus, quinquefidus, laciniis lanceolatis, ad apicem glandulosis, glandula carnosa acuminata.

Corolla quinque munita petalis, summo calici insertis, eiusque laciniis alternis, sessilibus, ovatis, rugosis, puniceis.

Stamina indefinita, calici sub petalis inserta, libera, aequalia, laciniis calicinis breviora.

Filamenta subulata, glabra, rubra.

Antherae reniformes, apicem filamentorum dilatatam marginantes, exiguae, biloculares, luteae.

Pistillum. Germen simplex, tubo calicis inferiori concretum, multiloculare, loculis dissepimento transverso disiunctis, ovulis ad parietes internos foetis.

Stylus unicus, lageniformis.

Stigma simplex, glandulosum, disciforme.

Fructus. Pomum grande, pericarpio fusco, coriaceo, novemloculare, loculis dissepimento transverso dimiatis, in angulo interiore placentam gerentibus.

Semina irregularia, angulata, exalbuminosa,

testa crassa, carnosa, rufescente, funiculis brevibus appensa, ascendentia.

Embryo erectus, cotyledonibus introrsum convolutis 38).

Cap. II.

Descriptio pharmacognostica.

De rationibus pharmaceuticis 39) haec monenda sunt: Cortex radicis ab arbore agresti colligatnr et partibns lignosis plane liberatus, bene siccetur. Colore est extus cinereo, intus luteo, manducatus cortex saporem adstringentem, haud ingratum exhibet et salivam colore luteo inficit. Cortex. r. gr. aqua madefactus chartae papyraceae, cui illinitur, maculas luteas impingit, quarum color ferro sulphurico admoto, in coeruleo-nigricantem mutatur, acido quolibet in colorem roseum, kali, in aqua soluto, in luteo-fuscum vertuntur. Cortex r. gr. buxi cortice interdum adulteratur, abs quo facillime sapore amaro distinguitur. Costel haec utriusque discrimina proposuit: decoctum corticis

---

38) Richard Medicin. Botanik aus dem Französischen von Kunze und Kummer. Leipzig 1826, 8. Thl. 2, S. 816 sqq.

39) Die preussische Pharmakopoe etc. v. Fried. Ph. Dulk Leipzig 1828, Th. 1, S. 444 sqq.

r. gr. dummodo paulum concentratum sit, fusco colore, sapore aliquantulum styptico gaudet, chartam exploratoriam coeruleam rubefacit. Gelatina in aqua soluta luteum, ferri sulphurici solutione praecipitatum nigrescens efficitur. Buxi decoctum eiusdem rationis colore luteo, sapore valde amaro excellit, chartae exploratoriae coeruleae colorem non mutat, nec una solutionum modo dictarum adhibita praecipitatur.

Cap. III.

Analysis chemica.

Secundum analysin chemicam a Mitouart 40) institutam continet tanninum, acidi gallacei magnam copiam, materiam, alteram cerae, alteram saccharo similem; materiae saccharo similis pars una spiritu vini solitur et formam crystallinam induit, altera pars aqua est solubilis et mannae non dissimilis. Bonarestre 41) autem e cortice nostro oleum cajeput via chemica se obtinuisse asserit, quod probabile videtur, quum Myrtinearum familiae omnes paene plantae oleo aethereo gaudeant, nec unquam ego principiis adstringentibus solis vim anthelminticam graviorem tribui audiverim; in aliis enim

---

40) Journal de Pharmacie IX, p. 219, p. 252, s. Berliner Jahrbücher XXIV, 2, p. 221.

41) Richard l. c. pars II, p. 819.

adstringentibus fortissimis haec vis nondum observata est, e. g. ratanhia, tormentilla, katechu, gummi kino etc. Proinde analysis chemica quam diligentissime repetatur oportet, licet negari nequeat, chemicam remedii indolem parum interdum conferre, ad eius vim in vivum organismum illustrandam.

Cap. IV.

Experimenta de vi anthelmintica corticis r. gr. ab aliis instituta.

In describenda corticis r. gr. vi anthelmintica, cuius multis in diariis infra citandis et dissertatione a Place conscripta mentio facta est, ita versari me oportet, ut, ne longior sim quam necesse est, experimenta ab aliis circa nostrum remedium instituta, brevibus exponam, deinde observationes in Policlinico regio hic collectas afferam, denique diversas adhibendi methodos, quantum valeo, percenseam. Vis corticis r. gr. contra vermes intestinales praecipue contra taeniam, incolis regionum, quas arbor habitat, minime nova est. Medici enim galli 42) narrant Jndiae incolas, St. Domingo insulae, et terrarum vicinarum hoc remedio ab antiquissimis iam temporibus, nullo suadente medico, ad vermes

---

42) Nouvelle Bibliothèque medicale, tome sexemie.

quoslibet expellendos usos fuisse. Vox populi vox dei, i. e. veritatis. Quod, si non semper verum, attamen in praxi medica maximi momenti videtur, nam experientia tantum minime vel theoria, vel chemica analysi efficacia medicamentorum probatur. Quamobrem fiducia populi in medicamento colloçata contra inimicum, tam atrocem quam saepe rebellem, minime aspernanda esset.

Hac vulgi opinione fretus Russel, medicus practicus cortice r. gr. usus est et quum vim eius vermifugam experientia firmatam vidisset, cum Buchanan 43), medico britannico hanc observationem communicavit. Hic autem primus Europaeorum hoc medicamentum efficacissimum in medium protulisse fertur. Sed de adhibendi methodo Buchanan a ceteris medicis dissentit, quum corticem r. gr. cum aliis remediis iunctum, aegrotis imperet. Confitetur autem, sibi remedium nostrum inter haec efficacissimum videri. Ab eo inde tempore duo praesertim viri, nempe Breton, medicus in exercitu Indiae orientalis britannicus et Gomez medicus lusitanus celeberrimus, de hoc medicamine bene promeruerunt. Horum auctoritatem multi medici Galliae, Britanniae, pauci hucusque Germaniae secuti sunt, qui adhibendi methodis paululum discrepantibus semper fere successum prosperum obtineri viderunt.

43) Buchanan of an Indian Remedy for the Tape — Worm, Edinburgh — Medical and surg. Journal Vol. III. fasc. IX. No. 8. s. Bremser l. c. p. 174.

Breton 44) uncias duas corticis r. gr. recentis ex aquae libra una et dimidia ad colaturam unciarum novem coqui et huius decocti mane singulis horis dosin accuratius non indicatam aegrotos haurire iussit. Dosibus aliquot sumtis nausea, raro autem vertigo et vomitus oriebantur, quibus mox elapsis medicamenti usus continuebatur. Celerius et gravius istae molestiae usum dosis eiusdem corticis sicci secutae sunt, quippequi duplo paene fortior recente est. Decocto singulis horarum dimidiis adhibito taenia prius depulsa est. Eandem efficaciam corticis substantia praestitit, cuius singulis horis scrupula duo aquae immixta aegrotis propinabantur. Octo aegrotos variae aetatis, sexus et corporis constitutionis hoc modo taenia liberavit, quae semper horis aliquot ab hausto medicamento elapsis, saepe inter hauriendum, aut viva aut mortua secessit. Corticis r. gr. substantia administrata minime affectiones supra memoratae ciebantur. Taeniae eiectae, huic decocto immersae, intra aliquot horae minuta valde perturbatae et convulsae periere, in aqua autem pura plures per horas vixere.

Gomez 45), qui in monographia mihi haud oblata, huius anthelmintici efficaciam laudibus ex-

44) Neues Journal von C. W. Hufeland und E. Osann Bd. 54. St. 1. S. 92. seq.

45) Bernardim Anton. Gomez Memoria sobre a virtude taenifuga da romeira etc. Lisboa 1822, 8, p. 40 sqq. Vide Magazin der ausländischen Literatur der ges. Heilk. von Gerson und Julius. Bd. 6, p. 427 sqq.

tulit, quatuordecim aegrotos eo adhibito ab hoste molestissimo tutos se praestitisse refert. Decocto unciarum duarum corticis r. gr., cum aquae libra una et dimidia (non ut Breton ad unciarum novem colaturam) ad librae unius colaturam parato usus est, cuius decocti aeger jeiunus singulis vicibus uncias duas ad tres (doses maiores periculosas esse putat) haurire iubetur. Sin dosibus aliquot adsumtis, colica, vertigo, diarrhoea, vomitus excitentur, decoctum seponendum et tres horas post coenam residuum aegroto offerendum conset. Ubi autem taenia decocto exhausto non cedit, eadem curatio die altero iteranda est. Rarissime vermem repetito impetui resistere dicit. Sin nihilominus resistat, a curatione abstinendum tempusque exspectandum iudicat, quo taeniae partes iterum alvo excernantur, tum curam repetendam.

Haud scio an praestet, vel nostrum medicamentum, vel alia anthelmintica, paucis diebus interpositis, ne aegrotus nimis debilitetur, minori dosi, interiectis purgantibus, adhibere, ut taeniae particulae residuae et ovula necata foras pellantur et hacce methodo radicalis forsan causa vermium tollatur. Quod ubi fit, nihil refert, si taeniae pars necata in intestinis haereat. Gomez tempus, quo taeniae partes, nullis medicamentis adhibitis, alvo exonerentur, eapropter exspectari iubet, quod haud secus ac Bremser (vid. Cap. V.) taeniam non annexu membrorum novorum crescere, sed evolutione iam formatorum, contendit. Hac evolutione

confecta, partuque excussa, membra disiungi et disiuncta perire dicit, et hoc quidem illud esse tempus!, quo aegroti doloses vehementissimos sentiant et vermis remediis ipsi inimicis facillime cedat.

Quamvis medicaminis nostri substantia semel tantum, nimirum in pilularum forma, cum gummi mimosae mucilagine paratarum, absque successu usus est, tamen corporibus ad diarrhoeas propensis hanc melius respondere asserit, quam decoctum. Taenia in ano haerente, purgans remedium ex ialappa aegroto propinari iubet. Attamen hoc expertus esse minime videtur. Vim corticis exsiccati graviorem esse recente, uti Breton, persuasum sibi habet. Experimentum ab Arnemann (v. Cap. V.) circa medicamina supra memorata institutum huic, uti Bretoni, de vi taeniis lethifera corticis r. gr. persuasit.

Place 46), medicos gallos, Deslandes et Souza de Velho, maioribus corticis r. gr. dosibus adhibitis, postquam per multam annorum seriem varia anthelmintica frustra in usum vocassent celerrime taeniam integram expulisse tradit. Eandem efficaciam alii medici galli nostro cortici insitam observavere, e. g. Chapotin 47), Husson 48), et Bourgnoise 49), quorum hic uncias duas corticis in aquae

---

46) Place l. c. p. 12.
47) Buchners Repertorium etc. Bd. XIX, St. 3, S. 489.
48) Place l. c. p. 13.
49) Frorieps Notizsn Bd. X. No. XI.

lib. duabus per horas viginti quatuor macerari, tunc ad dimidium coqui iubet. Canali cibario, diaeta tenui et olei ricini unciis duabus, ante curae initium imperatis, purgato, decoctum tribus unciarum quatuor dosibus aegroto propinat, dimidia hora inter quamque dosin interposita, seque multis in casibus taeniam integram et globuli adinstar couvulutam, dimidia vel integra hora post dosin tertiam elapsa, saepe prius expulisse affirmat. Hic quidem corticem quam plurimum valere censet, ubi taeniae partes sponte iam alvo emissae sint.

Boiti 50) radices fruticum tenerae aetatis sponte in regionibus montosis crescentium adhibendas dicit, quas solas ab omni ligno liberatas et aëre, sole non fulgente, siccatas, efficaces esse putat. Quam opinionem exemplis tam supra memoratis quam infra proferendis refutari censeo.

Observationum, hucusque in Germania rarissime circa nostrum corticem institutarum, notatu dignissimae sunt Wolffii, medici Bonnensis 51). Wolff ter taeniam integram cortice r. gr. (in horto Bonnensi per viginti annos culti) ejecit. Primum quidem decocto, ex radicis uncia una cum aquae libris duabus ad librae integrae colaturam parato usus est, cuius aeger omni semihora unciam hausit. Altero

---

50) Specielle Therapie v. A. G. Richter, herausgegeben v. G. A Richter. Berlin 1828, Bd. X. S. 415.

51) Neues Journal von C. W. Hufeland und E. Osann, Bd. 54. St. 2, S. 111.

in casu, decocto epoto, die sequente corticis pulverati scrupula duo sexies, tandem nonnullis diebus interpositis decocti fortioris, e radicis uncia una et dimidia cum aquae libra una et dimidia ad librae unius colaturam parati singulis horarum dimidiis unciae tres adhibebantur. Tertio in exemplo decocti, ex corticis unciis tribus cum aquae libris tribus ad librarum duarum colaturam confecit, unciis duabus pro dosi imperatis taeniam perlongam expulit. Omnibus in casibus nausea, vel vomituritiones, vel vomitus animadvertebantur, quae medicamento per horam seposito cesserunt. Septies autem frustra medicamento hoc contra taeniam usus est. Primo autem, ut mihi videtur, in casu, aut caput iam excretum, aut cortice adhibito pars relicta necata fuit, quum intra menses duodeviginti aegrotus optima valetudine gauderet. Porro tempus ad curam instituendam non opportunum fuit, etenim ante sex hebdomades ultima taeniae pars secesserat. Aegrotus secundus, qui frustra huic curationi submittebatur, per annos septem taeniae partes in faecibus non observaverat, nec ab eo inde tempore molestiis quibusdam vexatus erat, quamobrem optimo iure dubitatur, an taenia adhuc adfuerit. Deinde puella undecim annos nata decoctum incassum paene sumsit, taeniae nempe satis cito propulsae, pars superior in intestino recto haesit. Ad eam penitus amovendam magnae olei ricini doses et decocti, alternis vicibus datae, diarrhoeam excitabant, taeniam non expellebant.

Balneis tepidis, ex lacte et aqua paratis, imo acido hydrocyanico frustra vermis pars prominens plures per horas immersa est. Per noctem haec pars avellebatur. Maxime est dolendum, quod neque medicamentum, puella abnuente, die sequente repetitum, neque vermis pars in recto haerens intestino aliis adminiculis letho data sit, e. g. clysmate ex corticis r. gr. decocto parato. De duorum denique infantum et mulierum curatione Wolff nihil comperit, nisi quod taenia non secedebat. Quod huic remedio imputandum dubito. Huc accedit, quod cortex in ultimis sex casibus adhibitus a radicibus valde debilibus et teneris arboris, quae eo anno iam floruerat, collectus erat. Wolff etiam ut Gomez, Bourgnoise, et alii curam optime secessuram putat, si paulo antea taeniae partes per alvum deiectae sint, nec minus vermis secessum maxime exspectandum esse, si vel nausea, vel vomitus remedio adhibito excitetur, quippequae affectiones vermis reactione oriantur. Idem iure contendit huius corticis r. gr. non aliam esse rationem, ac aliorum remediorum vegetabilium, quorum efficacia ab aëre et terra, in qua crescat planta, pendet. Inde quoqne variam medicorum fiduciam, quam collocent in vi digitalis purpurae, conii maculati, hyoscyami nigri, aconiti etc. derivandam esse. Postremo exoptandum dicit, ut pharmacopolae nostri corticem r. gr. indicum aut certe lusitanum in promtu habeant.

Cap. VI.

Experimenta in Policlinico regio instituta.

His pertractatis restat, ut observationes de corticis r. gr. efficacia, in Instituto policlinico regio collectas, afferam. Ratio medicamentum nostrum adhibendi haec fuit: aeger nec pridie curationis initium, nec ipso die, quo haec inchoat, nutrimenta haurire iubetur, nisi iusculum aquosum sub meridiem, sub vesperem autem harengi salsi aliquot partes. Medicamentum ieiunus haurit, dosesque infra dictas, vel singulis horis vel dimidiis ingerit. Nausea vehementi, aut vomitu excitato, medicamentum seponitur, donec hac affectiones plane evanuerint, tum coepta curatio continuatur. Si hoc remedio solo assumto circa tempus promeridianum alvus non mota est, olei ricini uncia dimidia per singula horarum dimidia exhibeatur, donec alvi excretiones plures appareant. Taenia hoc modo non expulsa die sequenti curatio iteratur.

I. Puellae, septem annos natae, scrofulosae, quae iam dudum vermibus, per triennium autem taenia, cuius partes saepius alvo excretae erant, laboravit, cortex r. gr. florentinus hac ratione praescriptus est:

Rp. Corticis rad. granati unc. i.
coque c. aquae fontan. ~~drachm.~~ xvi.
ad colaturam ~~drachm.~~ viij.
D.S. Jejuno ventriculo tribus vicibus haec hauriantur.

Diaeta supra dicta commendabatur. Prima dosi hausta, vomitus humoris albi, lacti similis ciebatur. Hora integra tertiam post dosin elapsa, alvus deponebatur, multaeque deiiciebantur taeniae partes diversae longitudinis, quarum unacubitos octo adaequabat. Caput non inventum est. Post coenam, quum alvi excretiones non amplius accederent, duobus olei ricini cochlearibus maioribus ingestis, bis alvus movebatur, iterumque taeniae partes emittebantur. Altero mane, decocti, usu repetito, excrementa multa, taeniae partibus, magnaque muci copia remixta, secuta sunt. Quum autem tertio curationis die aegrota nondum melius valeret, nec huius medicamenti aliquid in promtu esset, decoctum hoc in usum vocatum est:

Rp. Seminum cynae drachm. vj.
coque cum aquae fantan. suffic. quantit.
ad colaturam unc. vj.
add.
Extr. absynthii drachm. 1. et dim.
Syrupi simpl. unc. dim.
M. D. S. Omni bihorio cochlear majus sumatur.

Quo bis hausto duae Ascarides lumbricoides in lucem edebantur. Posthac puella optima gaudebat valetudine. —

II. Mulieri, viginti octo annos natae, quae a pueritia semper paene vermibus vexata erat, cuique aliquot ante curationem dies taeniae partes alvo secesserant, diaeta supra descripta et cortex r. gr. hac methodo imperabatur:

Rp. Pulv. cort. rad. granati unc. dim.
divide in viij part. aequales.
D. S. Quatuor doses singulis horis, reliquae singulis dimidiis aquae immixtae ab aegrota jejuna hauriantur.

Sine ullis molestiis, si levem nauseam excipias, hae pulveris doses ab aegra susceptae, excretiones alvi aquosas, minime taeniae secessum effecerunt. Eadem diaeta, eadem remedii agplicandi ratio die altero repetita est. Alvo post coenam non mota, aegrotae olei ricini unicae duae et dimidia porrigebantur, quo facto cum alvi excretionibus profusis taeniae partes cubitales, quarum integra longitudo universim cubitorum viginti habebatur, emissae sunt. Die sequenti rursus taeniae partes excernebantur, quibus an caput insiderit, nec ne, certo erui non potuit. Aegra melius habuit, sed non ita, ut taeniarum praesentiam non amplius suspicari liceret. Proinde aegrae, diaeta admodum tenui, profusisque alvi excretionibus debilitatae per biduum valerianae infusum et diaeta lauta imperabantur. Quibus prospero cum successu adhibitis, aegra drachmas sex pulveris corticis r. gr. duodecim in doses divisas singulis horarum dimidiis assumere iubebatur. Nonnullae molestiae has doses secutae, at alvus laxata non est, quamobrem post coenam cochlearia aliquot olei ricini adhibita sunt, quo facto per alvum plures taeniae partes, cubiti longitudinem adaequantes exonerabantur. Ab eo inde tempore mulier bene valuit.

III. Tertio in casu mulieri, triginta duos annos natae, quae multis anthelminticis tractata, nec taenia liberata erat, postquam nonullis diebus ante curae initium taeniarum partes alvo excretae erant, quater iisdem sub diaetae conditionibus pulvis corticis r. gr. cum valerianae infuso alternis vicibus et diebus imperatus est; post unum quemque remedii haustum multus taniae partium longarum numerus, magnaque muci copia secessit, quo facto curatio, quum aegrotae tractus intestinalis his et prioribus difficultatibus nec non remediis adhibitis valde debilitatus esset, ope mixturae ex trifolii fibrini extracto, aqua menthae et spiritu sulphuricoaethereo compositae, radicalis absoluta est.

IV. Mulier, viginti anos nata, a pueritia vermibus laborans, auxilium ab Instituto policlinico petebat, postquam ante semestre magna taeniae pars alvo excussa erat. Corpore ad curationem, ut supra dictum, praeparato, haec imperata sunt:

Rp. Corticis rad. granati drachm. dim.
Sacchari albi scrup. I.
M. fiat. pulvis, dispensentur tal. dos. Nro. viij.
D. S. Singulis horis pulvis sumatur.

His ante meridiem, oleo ricini autem post meridiem administratis, alvo permagnus ascaridum vermicularium numerus non taenia expulsa est. Die interiecto curatio, quamvis aegra multo melius valebat, iterata, sed ne vermis vestiguim quidem observatum est. Valerianae infuso cum absynthii

extracto nonnullos per dies adhibito, aegrota optime convaluit.

V. Denique nostrum remedium primum in infusi (vide supra observatio I.), deinde in pulveris forma (v. obs. II.) in usum vocatum, mulierem quatuorviginti tres annos natam multis taeniarum partibus longis, et latioribus et angustioribus, nec non ascaridibus vermicularibus liberavit; quae deinde prospera valetudine usa est.

Mihi ipsi obtigit ut sub auspiciis Ill. Osann cortice nostro, sed, quod lugeo, sine prespero eventu contra taeniam uterer. Quod autem minime medicamento imputandum existimo, etenim per annos viginti nullum taeniae symptoma, nisi frigoris sensatio in regione epigastrica apparuerat, et haec medendi ratio magis eapropter administrata est, qnod causae epilepsiae certae, examine instituso, erui non poterant, aeger autem puerili aetate taenia laboraverat. Curatione continuata epilepsiae character nervosus patuit.

Cap. VI.

De corticis r. gr. efficacia.

His auctorum observationibus et sententiis inter se comparatis, facile elucet, efficaciam remedii nostri in taeniam ancipitem, saepius nullam esse, ni taeniae partes antea sponte secesserint: taeniam autem, uti Gomez, Bourgnoise, Bremser, Wolff et

alii contendere, illo tempore evolutionis stadium emetiri, eoque sensiliorem et ad expellendum promptiorem esse. Quamobrem methodus, quam suadet Gomez, rationi videtur consentanea, quippequi non prius taeniae curationem auspicandam dicit, quam taeniae partes cum faecibus in lucem prodierint.

Hoc nostrum remedium anthelminticum efficacissimum esse, allatis exemplis vires eius probantibus, nemo erit qui dubitet. Sin autem nonnullis in casibus eventus irritus fuerit, tam symptomatum inconstantia, quae medicum facillime fallunt, quam usus aut nimis praecox aut serotinus, tam adhibendi methodus quam qualitas diversa medicamentorum vegetabilium secundum terrae regionem, ubi crevere et secundum tempus quo colligebantur, culpanda videntur. Quum autem de morbi symptomatibus et de tempore ad taenias expellendas opportuno saepius iam supra disseruirem, restat ut corticis efficaciam et adhibendi methodos accuratius disquiram.

Ubi sponte crescit arbor et cortex radicis semper recens et genuinus prostat, variis in locis, medicisque variis tantatus, saluberrimum et celerrimum effectum praestitit, dum in Germania saepe omni usu destitueretur. Quis ex aliorum medicamentorum analogia non ratiocinetur, hoc haud dubie a remedii diversa indole pendere? Plantae enim regionis australis ad septentrionalem translatae, nunquam eundem habitum, eandem altitudinem, formositatem et vim medicam obtinent, quum coelum septentrionale quominus satis alantur et plane exco-

lantur impediat. Imo in hortis cultae minus efficaces sunt quam silvestres et sponte crescentes, quod iam supra, Wolfii experimenta referens, de digitali purpurea et aliis annotavi. In arboris patria medici cortice recenti utuntur et prae omnibus speciei arboris nostrae in India cultae, cuius radix crassior, cortice uberior et efficacior dicitur 53). Et quanquam experimenta a Wolff instituta nobis persuadent corticem germanicum non omni vi anthelmintica carere, attamen eam multo minorem esse, alii merito affirmare videntur. Quamobrem plurimum interest ut pharmacopolae nostri corticem aut indicum, aut saltem italicum, seu lusitanum, haud dubie multo efficaciores praesto habeant. Tempus etiam, quo cortex colligitur, aliquid momenti in vim medicam exserere videtur, (v. supra Wolffii observationes) ita quidem ut cortex ante arboris florescentiam maiore vi, quam post eam collectus excellat.

Quod methodum attinet remedio nostro utendi, ex observationibus supra memoratis liquet, pulverem et mitiorem et levioris pretii esse (quum minori copia opus sit) quam decoctum, quapropter hoc in casibus gravioribus praeferendum est. Macerationem corticis per horas viginti quatuor, priusquam coquatur, quam Bourgnoise et ceteri medici galli suadent, multum conferre ad partes efficaces elicindas, probabile mihi

---

53) Magazin der ausländ. Literat. der gesammt. Heilk. von Gerson und Iulius. Bd. 6. S. 430.

videtur. Methodus a Gomez laudata magis mihi arridet quam Bretoni, quum per illam maior medicamenti copia in intestina ingeratur, itaque taniae, saepissime muco quam plurimo involutae, magis remedii vi submittantur, praetereaque Gomez singulis horarum dimidiis medicamentum sumi iusserit, quo curae eventus, ut Breton ipse in casu quodam observavit, maturetur; denique quum Gomez curationem, si eventus exoptatus non redundet, repetendam suaserit. Hoc tantum methodo a Gomez propositae exprobrandrum est, quod semel tantum curam iterari iusserit, fortasse quod temere persuasum habet, taenias, cura bis instituta non depulsas curationi continuatae haud cessuras esse. Observationes a Wolffio, eaeque in Policlinico nostro collectae hanc opinionem refellunt.

Ratio medendi, quam Bourgnoise et medici galli sequuntur, iam memoratis eo praestant, quod vis medicamenti diaeta tenui praescripta admodum sustentatur. Intestinis enim chymo et faecibus non repletis, maior medicaminis copia ingeri, eademque vermis facilius attingi et involvi potest. Deinde haud scio an dosibus maioribus taeniae celerius eliminentur, aegrotusque maturius anxietate et molestiis liberetur; certe curationi radicali hoc minime respondent, nisi doses minores postea porrigantur, quod medici galli plane praetermittunt.

Methodus in Policlinico regio administrata partim quod imperetur diaeta strenua, vermibusque inimica, partim quod purgantia postea adhibeantur et

pluries cura repetatur, donec morbi symptomata plane evanuerint; denique quod alia medicamenta idonea interponantur, omnibus prioribus praecellere mihi videtur. Saepe, ut puto, nostro remedio solo adhibito morbus radicitus erui potest, quum tantum principii adstringentis insit, ut intestinorum secretio, vegetatio perversa et atonia, dummodo repetita vice in usum vocetur, iam tollantur, quod experimentorum plurima argumentari videntur. Semper autem hunc in finem remedium pluries, interpositis diebus intermediis, aut, quod melius adhuc forsan, medicaminibus roborantibus aegro suppeditatis adhibendum mihi videtur, quamobrem hac ratione medicorum gallorum praecepta sequi dubitaverim.

Bremser, cuius plurimum in hac re valet iudicium, omnibus medicamentis, quae brevissimo temporis spatio taeniam expellunt, hoc exprobrat, quod tuto et radicitus morbum non sanent. Ipse igitur methodo, qua utitur, anthelmintica, non tam taeniam, quam morbum ipsum et mali causam agreditur, parvi faciens, utrum vermis excernatur, nec ne, dummodo pluribus mensibus elapsis morbi incommoda et symptomata sublata sint. Haud dubito, quin Helminthiasis curatio radicalis methodo in Policlinico administrata efficiatur, quum taenia nostro cortice depulsa, aliis remediis, tam purgantibus ad ovula et mucum funditus eliminandum, quam roborantibus e. g. valerianae infuso cum extracto absynthii (per se vermibus quoque contrariis), soluti-

one extracti trifolii fibrini in aqua menthae et aliis, ad tubi alimentarii functionem in integrum restituendam, tamdiu insistatur, donec taeniae symptomàta plane evanuerint, et aegrotus bene valeat. Forsan, quod experiendum est, hoc eo quoque obtineri potest, quod, taenia magnis medicamenti nostri dosibus expulsa, aegroto aliquod per tempus doses parvae, e. g. scrupulum pulveris dimidium pluries per diem, porrigantur. Quod universim corticis r. gr. dosin attinet, uti omnium medicamentorum ad morbi atrocitatem aut minorem aut maiorem moram, aegroti aetatem, constitutionem conformari necsse erit; utrum breviore an longiore cura opus sit ab eius successu pendebit.

Affectiones illae, ut nausea, vomituritiones, vomitus, colica, diarrhoea, vertigo, utrum medicamento excitantur, num potius vermi vehementius agitato, trepideque per intestina venenum fugere coacto, ambigitur? Altera opinio veresimilior mihi videtur, quum hora circiter interposita plerumque evanescant, nec remedio rursus assumto redeant. Porro affectiones non tam vehementes, ne a medicis gallis quidem, qui dosibus maximis utuntur, animadversae sunt, ut inde damnum in hominum valetudinem redundet. Quamobrem iis absterreri non oportet, quominus medicamentum, hora elapsa iterum adhibeamus. Si taeniae pars intestinis infixa ex ano pendeat, quam in rem iam supra ex-

perimenta a Wolff et aliis circa balnea ex lacte et aqua, imo ex acido hydrocyanico paratae, frustra instituta commemoravimus, Place balnea ex cortice nostro parata commendat. Idem putat, si haec pars prominens avellatur, ad quod cavendum tubum applicari iubet medicus petropolitanus, clysmata ex cortice rad. gr. parata celerem et felicem effectum polliceri. Quod et ipse crediderim, quum experimenta a Breton et Gomez instituta extra dubium posuerint taeniam hoc remedio celerrime interfici. Sin autem hoc facto pars taeniae in intestinis residua, nec statim, nec aliquot post dies excernatur, mihil timendum mihi videtur, dummodo remedium nostrum per anum et per os adhibeatur, donec omnia morbi symptomata cesserint.

Alia medicamenta cortici r. gr. non addita sunt, quo factum est, ut melius de ipsius virtute et viribus iudicare possimus; aliis remediis efficaciam eius vel adiuvari vel corrigi valde dubitandum, nec opus quidem est. Semper autem ni cortice nostro, quod saepissime, alvus moveatur, remedium purgans in usum vocandum esse luce clarius apparet. Hunc autem in finem oleum ricini secundum Policlinici praecepta cum fructu administrari, curationes prosperae affirmant. Hunc nostrum corticem ad alias vermium intestinalium species pariter ac taeniam expellandas et necandas, idoneum esse, experimentis satis liquet, attamen

iis in casibus, quibus alia medicamenta leviora sufficiunt, non opus est.

Quum igitur cortex r. gr. anthelminticis fortissimis et probatissimis haud inferior aestimandus sit, virtute forsan omnia superat. Illis enim remediis specificis, quorum vis taeniis lethifera eo nititur, quod extra corpus humanum quam celerrime taenias interficiunt, quaque ratione praeferendus est. Nec enim aqua frigida, nec spirituosa, dum taenia in intestinis residet, tantis dosibus adhiberi queunt, ut eam necare valeant. Olea aetherea foetida propter odorem et saporem ingratissimum plurimi aegroti respuunt, usumque iteratum recusant, cortex autem noster inodorus, facile ab aegrotis hauritur sine corporis detrimento, magnisquoque adhibitis dosibus sustinetur, atque cito et tuto taeniam aut statim interficit, aut expellit. Quanti autem faciendum sit tale remedium, optime intelliget is, qui medicos peritissimos in taenia expellenda summam operam frustra saepe collocasse legit.

Medicamentum, tanta vi instructum, ne ut multa alia nova mox oblivioni tradatur, haud est verendum; imo quo saepius a medicis germanis, quod maxime exoptandum, in usum vocetur, eo pluris aestimatum iri, persuasum habebimus.

VITAE CURRICULUM.

Ego, Robertus Siehr, confessioni evangelicae addictus, Tilsae die II. m. Octobris A. MDCCCIII. natus sum. Pater mihi dilectissimus Ernestus Ludovicus, a consiliis iudicialibus, ante tredecim annos diem obit supremum, matrem optimam, Sophiam, e gente de Schoen, incolumem adhuc veneror. Primis literarum elementis imbutus, Gymnasium, quod in patria urbe directore Clar. Coerber floret, ad vitae annum vicesimum frequentavi. Inde maturitatis testimonio munitus Regiomontum anno MDCCCXXIII. profectus, inter cives Academiae Albertinae ab Ill. Unger t. t. Prorectore Magnifico receptus, anno MDCCCXXIV. autem ab Ill. Burdach artis medicae studiosis adscriptus sum. Ibi disserentes audivi beatum Hagen de physice et chemia, beatum Eysenhardt de botanice, Ill. de Baer de anatomia, zoologia, anatomia comparata, methodologia et encyclopaedia, de arte cadavera dissecandi, Ill. Burdach de anatomia tam generali quam speciali, de biologia et physiologia, Ill. Richter de materia medica et Cel. Sachs de pathologia generali; Ill. Herbart lectionibus de logice, philosophia practica et psychologia interfui.

A. MDCCCXXVI. hanc musarum sedem celeberrimam Berolinensem adii et ab Ill. Boekh t. t. Rectore Magnifico in album relatus, ab Ill. Link facultati medicae adscriptus sum. Hic vero per annum me docuere Ill. Horn pathologiam et therapiam specialem, de vesaniis et de morbis syphiliti-

cis doctrinam, Ill. Hecker therapiam generalem et Celsi libros interpretandos, Ill. Jüngken fasciarum applicationem, ophthalmologiam, akiurgiam, nec non operationes ad utramque spectantes, Ill. Wagener medicinam forensem, Ill. Rust chirurgiam tam generalem quam specialem.

Adversa deinde valetudine Rhenum petere coactus, Bonnae ab anni vere MDCCCXXVII. ad idem anni MDCCCXXVIII. tempus his interfui scholis: Ill. Noeggerath de mineralogia, Ill. Nees ab Esenbek de plantis medicinalibus, et de pharmacologia tam theoretica quam practica, Ill. de Walther de ossibus fractis et luxatis, Ill. Nasse de semiotice, Ill. Harless de Galeni libris, praesertim autem anatomiae et cadaveribus dissecandis, ducibus Ill. Meyer et Weber studui.

Deinde Berolinum reducem Ill. Kluge artis obstetriciae tam theoreticam quam practicam partem me docuit. Institutionibus denique clinicis medicis virorum Perillustr. et Illustr. Hufeland, Bartels, Osann, Busse, Wolff, chirurgicis Ill. Rust, de Graefe, et oqhthalmiatricis Ill. Jüngken, tam auscultando, quam aegrorum curam suspiciendo, haud defui.

Jam vero tentamine philosophico Bonnae, eodemque medico, nec minus examine rigroso Berolini absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summa in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Vasa absorbentia non chylum tantum sed res etiam corpori alienas obserbent.

II. Non omne vivum ex ovo.

III. Hominum genus non ex uno pare ortum est.

IV. Extractio cataractae omnibus aliis operandi methodispraeferenda est.